

R. Seqq.: 1.^o Si jus ædificandi sit notorium (*l. 20. pr. ff. h. t.*): quo casu non est necessaria auctoritas prætoris, cum jus sit liquidum, et nunciatio notoriè injusta.—2.^o Si iudex revocet nunciationem, ejusque remissionem faciat (*l. 16. ff. h. t.*) ex quacumque justa causa; maximè si nuncians intra trimestre non probet jus suum (*c. 3. et fn. h. t. l. 20. §. 14. ff. et l. un. C. eod.*)—3.^o Si nuncians ædificanti remittat nunciationem, vel cautionem acceptet de opere destruendo, si deinde constiterit non adesse jus ædificandi (*c. 2. 3. h. t. l. 8. §. 4. et l. 20. §. 9. ff. eod.*), vel si nuncians nolit jurare de calumnia, quia præsumitur calumniosè nunciare (*l. 5. §. 14. eod.*)—4.^o Si nuncians, re integra, moriatur (*l. 8. §. 6. eod.*); quia nunciatio ex parte nunciantis est merè personalis, neque transit ad hæredes, nisi et horum nomine fuisset nunciatum. At contra nunciatio morte ejus, cui nunciatum est, non extinguitur (*cit. l. 8. §. fn.*); quia hoc respectu realis est, et transitoria ad hæredes (*l. 10. ff. h. t.*); imò etiam ad successores particulares, ut emptorem (*l. fn. eod.*) Ceterum regulariter loquendo, si jus alienum non obstat, quilibet in suo fundo ædificare potest quodlibet (*l. 8. C. de servit.*); nam juxta com. brocardicon: *Si domus mea est, est mea usque ad cælum sursum, et usque ad infernum deorsum.* Plura alia de ædificatione traduntur à Civilistis ad §. 29. et 30. *Instit. de rer. divis.*

TITULUS XXXIII.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM. "

170. Prima pars hujus rubricæ hic incidenter ponitur: aliàs tractatio de privilegiis, tanquam privatis legibus, magis propriè spectaret ad tit. de Const., sicut fit in jure civili. Altera verò pars de *excessibus privilegiatorum* huc propriè spectat, cum excedere in privilegiis delictum sit. Agam hinc:—1.^o De privilegiis in communi.—2.^o De quibusdam privilegiis in specie.—3.^o De excessibus privilegiatorum.

a—Agitur de hac materia in *Sexto, Clem. et Extrav. Joann. XXII. et Extrav. tocom. h. t.*—In Decreto 25. q. 2.—In Trid. Sess. 6. c. 3., Sess. 7. c. 14., Sess. 14. c. 5. 8., Sess. 24. c. 11. *de reform.* et alibi frequenter, ubi privilegia multa revocantur.—In Pandectis *l. 14. 15. 16. ff. de LL., et l. 1. §. fn. ff. de Const. Princ.*

§. I.

De privilegiis in communi.

171. Hic considerari solet natura, divisio, causæ, effectus, amissio et revocatio privilegii.

172. Q. I. *Quid sit privilegium?*

R. Quoad nomen est: *lex privata* (*Can. 3. d. 3.*): quoad rem privilegium formaliter est: jus singulare contra tenorem juris communis ob aliquam utilitatem à principe concessum: ità in re com. ex *l. 16. ff. de LL.*—Dicitur 1.^o *Jus* per modum generis, in quo convenit cum lege, cum ad instar legis obliget.—2.^o *Singulare*, quia datur uni vel alteri personæ singulari, aut communitati minori, tanquam personæ singulari factæ, licèt ex consequenti obliget totam communitatem principi subjectam, ne privilegiatum in usu privilegii impediatur.—3.^o *Contra tenorem juris communis*; quia privilegium seu *lex privata*, debet esse contrarium juri communi, ut asserit Jctus. et *l. 14. et seqq. ff. de LL.* Unde id, quod conceditur, *præter* aut *justà jus commune*, non est in rigore privilegium, sed potius *gratia, beneficium* aut *declaratio principis*, licèt in communi usu frequenter dicatur privilegium, quem usum non damno; quia de vocibus non libenter contendo.—4.^o *Ob aliquam utilitatem*; quia ex hoc, quòd quibusdam personis concedatur exemptio à quibusdam legibus et oneribus communibus, magna utilitas et emolumentum reipubl. sequi solet, ut consideranti patet in privilegiis pupillorum, minorum, clericorum, militum, etc.—5.^o A principe seu suprema potestate, quæ sola derogare potest juri communi. Ità proportionaliter discurrendum de privilegiis, quæ inferior conditor dat contra jus suum territoriale. Prætereà pluribus aliis modis accipi potest privilegium: putà *instrumentaliter* pro ipsa scriptura; consecutivè pro facultate, quam privilegiatus accipit: *formaliter* verò pro ipso jure singulari à principe constituto.

173. Q. II. *Quomodo dividatur privilegium?*

R. 1.^o In *affirmativum*, quo conceditur actus aliàs jure prohibitus: ut eligere in aliena Ecclesia: et *negativum*, quo conceditur ommissio actus jure præcepti: ut non solvere decimas.—2.^o In *merè gratiosum*, quod datur ex pura benevolentia principis; cum et ista sit causa sufficiens ad dandum privilegium, licèt ordinariè alia causa concurrat: et *remuneratorium*, quod datur ob merita personarum; sicut pleraque privilegia Regularium.—3.^o In *favorabile* et *odiosum*, in quibus expli-

candis variant DD. In meliori sententia illud est privilegium *favorabile*, quod primariò et per se conceditur in favorem personæ, licèt per accidens odium seu præjudicium alterius contineat; sicut privilegium ætatis, Scti. Vellejani etc. *Odiolum* est illud, quod per se et principaliter in odium et detestationem alterius conceditur: sicut privilegium Scti. Macedoniani in odium fœneratorum; quartæ pianæ in odium injustè exhæredantium vel emancipantium arrogatos impuberes; privilegium retrahendi libertum ingratum in servitutum, vel revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii etc. Fateor tamen in communi usu sæpè vocari privilegia *odiosa*, quæ adversantur juri communi aut tertii, seu gravamen et præjudicium alterius continet: ut privilegium decimandi et pontificalia exercendi in alia diœcesi etc. —4.º In *onerolum* seu *conventionale*, quod mediante pacto datur ex justitia: et *purum* seu *non onerolum*, quod sine ullo pacto et titulo justitiæ datur. —5.º In *perpetuum*, quod de se perpetuò durat, sicut lex, nisi revocetur: et *temporale*, quod durat ad tempus limitatum: et hoc non videtur differre à dispensatione. —6.º In concessum *motu proprio*; et *ad instantiam supplicantis*. Tunc privilegium conceditur *motu proprio*, dum clausula ista *motu proprio* exprimitur, seu causa finalis concessionis; et cons. preces privilegiati vel nullæ præcesserunt, vel si præcesserunt aliqua, tamen concedens non attendit eas, ut causam finalem concessionis. Tunc verò conceditur *ad instantiam* seu *preces*, dum pro causa concessionis allegantur preces supplicantis. —7.º In *absolutum* et *conditionatum*, *ecclesiasticum* et *politicum*, *clausum in corpore juris communis*, et *extravagans*, et alia, quorum notitia ex vocibus innotescit. —8.º Privilegium celebri divisione dividitur in *personale* et *reale*: licèt aliqui, qui amant terminos carpere, aut entia multiplicare sine necessitate, eam rejiciant contra *l. 196. ff. de R. J.*, ubi Modestinus ait: *Privilegia, quædam causa sunt, quædam personæ. Personale est, quod per se conceditur personæ independenter à causa, seu re, fundo, officio aut simili titulo perpetuo, et cum persona extinguitur (reg. 78. ff. et reg. 7. in 6.): uti est privilegium competentia datum parentibus, patronis, marito, militi, clerico (§. 37. et seq. Instit. de act.) Reale est, quod conceditur personis dependenter à causa seu ratione rei, fundi, castri, dignitatis, officii, status et communitatis: et hoc transit ad successores in eadem re (cit. l. 196): ut privilegium eligendi annexum dignitati, privilegium asyli, fori clericalis etc. Ex privilegiis realibus aliqua quoad usum competunt tantum *communitati, qua tali*; ut privilegium liberæ electionis etc.; alia *singulis membris*: ut privilegium fori clericalis et multa privilegia Regularium.*

174. Q. III. *Quæ sunt causæ privilegii?*

R. 1.º *Materia* seu objectum privilegii propriè talis, est actus jure communi præceptus aut prohibitus, ità ut respectu privilegiati desinat esse præceptus aut prohibitus; nam privilegium est jus singulare contra tenorem rationis communis (*l. 16. ff. de LL. Can. fn. §. si ergo 25. q. 1.*) Privilegia declaratoria juris communis, et privilegia

præter jus non sunt in rigore privilegia, licèt vulgò ità dicantur: quo sensu explicari solet *c. 7. de proc., c. 26. v. fn. de jurej.* In dubio, an sit privilegium *declaratorium*, an *concessivum* contra jus com. censendum est concessivum, utpotè propriè tale. Unde privilegium testandi datum Episcopo intelligitur de testamento quoad bona ecclesiastica, non patrimonialia etc. Illi autem actus, qui substant juri naturali præceptivo, non sunt objectum privilegii humani; quia princeps non est supra jus naturale. Unde nec privilegium dare potest contra pacta justitiæ, quibus ipse obligatur, nisi causæ gravissimæ suaderent, ut Papa de absoluta sua potestate relaxaret aliqua pacta, etiam publica, quæ semper à fidelibus fiunt, salva auctoritate Vicarii Christi.

2.º *Forma* intrinseca privilegii, sicut legis, est actus principis, ut legitime manifestatus: forma verò extrinseca desumenda est ex stylo cujusque Curia principalis: et si in scripto detur, eadem proportionaliter est forma, quæ in rescriptis. Ceterum ad valorem privilegii per se non requiritur scriptura (*c. 7. institutionis 25. q. 2. et Clem. 2. v. nos etenim de sepult. ibi: Universa privilegia verbo seu scripto concessa; et Extrav. 5. de penit. inter com. ibi: Tam verbo, quàm scriptis, confectis inde litteris, vel non.* Nam totus valor, sicut legis, ità et privilegii, pendet à voluntate principis; ergò sive scripto, sive verbo, sive alio signo voluntas principis intimetur, valebit privilegium, nisi in casu particulari expressè scriptura requiratur: uti in collationibus, confirmationibus et unionibus beneficiorum à Sede apostolica factis (*Extrav. 1. de elect. int. com.*), in delegationibus judicum papalium, ex *reg. 24. Cancell.*, in facultatibus non residendi in beneficio (*Trid. sess. 23. cap. 1. de refor.*), et ingrediendi monasteria monialium (*sess. 25. c. 5. de Regg. etc.*) Hodie ex Const. Urb. VIII. incip. *Alias*, et Greg. XV. incip. *Romanus*, privilegia apostolica non valent, saltèm pro foro externo, nisi authentizata sint per officiales publicos, quibus id in Curia apostolica incumbit.

3.º *Causa efficiens* privilegii est princeps, cum iste solus relaxare possit jus commune: et quidem tribus modis:—I. *Personali concessione*.—II. *Præscriptione* aut *consuetudine* rationabili et legitima, quæ nititur generali seu legali consensu principis (*c. fn. de consuet. c. 18. de præscript.*)—III. *Communicatione*, dum princeps privilegium uni concessum deinde communicat seu concedit alteri, vel *relativè* seu *ad instar*, hoc est, indirectè accessoriè, sicut multa privilegia viris regg. concessa communicantur monialibus, illorum familiaribus medicis, advocatis etc.; vel *absolutè* seu *pariformiter* et *æquè principaliter*, seu directè, ac si specialiter his concederentur: ità hos terminos sumi patet ex pluribus Bullis Pontificiis, in specie ex Bulla Greg. XV. incip. *Ad uberes fructus*, ubi terminus *ad instar* opponitur termino *pariformiter*: sic enim §. 1. communicans Scholis Piis privilegia Regularium, inquit: *Pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et æquè principaliter, perinde ac si illis nominatim et in specie concessa fuissent* etc. Ex quibus conciliabis P. Schmalz. et alios DD. qui terminos is-

tos aliter usurpant et subdividunt. Porro hoc interest inter privilegia *adinstar* et *pariformiter concessa*, quod illa minuuntur et amittantur, si priora privilegia contingat minui, vel amitti; ista verò nec minuuntur, nec amittantur, etiamsi priora contingat amitti, vel minui; quia illa, et non ista per se dependent à prioribus.

4.^o Causa *finalis* seu finis generalis privilegii est aliqua utilitas redundans in bonum reipubl. (*l. 6. ff. de LL.*): finis verò partialis, seu causa motiva concessionis est illud motivum, quo princeps motus, concedit privilegium. Circa hanc causam eadem observantur, quæ circa causam rescripti. Vide *tit. de rescriptis à n. 45.*

5.^o *Subjectum*, cui privilegium strictè tale datur, debet esse subditus principis, jure communi obstrictus, saltè in transitu, sicut externi et peregrini; nam privilegium est liberatio ab obligatione juris communis. At privilegium latè tale, acceptum pro gratia et beneficio, concedi potest etiam non subdito; cum sit actus meræ liberalitatis, et præter jus, sicut Theodosius Imp. concessit iudicibus ecclesiasticis cognoscere causas temporales laicorum (*Can. 35. quicumque ll. q. 1.*) Porro licet princeps absolutè dare possit privilegium independentè à consensu privilegiarii, regulariter tamen solet illud dare quasi conditionatè, *si privilegiarius illud acceptaverit*, tum ne gratia principis contemnatur, tum quia privilegium vim habet donationis, quæ non est absoluta, nisi acceptetur à donatario: et hoc intellige de privilegiario directo; in cæteris enim nullus requiritur consensus; ut si alicui communitati concedatur exemptio, potestas absolvendi etc.: imò sine ulius consensu, Papa motu proprio posset aliquam Religionem eximere à jurisdictione Ordinarii, à consuetis processibus etc.

175. Q. IV. *Quis sit effectus privilegii?*

R. 1.^o Ex parte privilegiarii est jus utendi privilegio secundum tenorem et rectam interpretationem illius: ex parte verò aliorum est obligatio non impediendi usum privilegii (*c. 26. h. t.*) Debet autem in usu privilegii observari locus, tempus, modus et aliæ conditiones in privilegio expressæ: si autem locus vel tempus non sint expressæ, neque subjecta materia aliud suadeat, concessa gratia porrigitur ad omne tempus, et omne territorium concedentis: ut si obtinuisti privilegium legendi libros hæreticos, prædicandi Evangelium in omni Ecclesia etc.: imò si gratia tollit solam inhabilitatem, vel concedit actum nullo speciali jure loci prohibitum, licitus est usus illius etiam extra territorium concedentis, ut ubique legere libros hæreticos, celebrare ante auroram etc.

2.^o Privilegiatus non tenetur uti privilegio privato (*c. 6. h. t.*), quia favori suo renunciare potest, nisi per accidens obligatio oriatur, ut audire missam die festo tempore interdicti. At si privilegium sit ex fine suo publicum, tenetur eo uti, sicut clericus privilegio fori (*c. 12. de for. comp.*), quia favori publico privatus renunciare nequit.

3.^o In concursu duorum privilegiatorum discrimen faciendum est: et quidem:—I. Si privilegia sint æqualia, sibi non opposita, privile-

giatus utitur privilegio adversus privilegiatum; quia is quoad hunc effectum non censetur privilegiatus. Sic Ecclesia vel minor læsus restituitur contra Ecclesiam vel minorem lædentem; quia non lædentibus, sed læsis restitutio promissa est.—II. Si privilegia sint respectiva et circa idem sibi opposita, speciale prævalet generali; quia species derogat generi, ex *reg. 34. in 6.* Si verò utrumque sit æquè generale, vel æquè speciale, id prævalet, quod est fortius; hoc est, antiquius, vel à majori potestate concessum, v. g. Dominicanus Ordo habet privilegium, ne alius Ordo monasterium ædificare possit intra certum spatium: alter verò Ordo habet privilegium ædificandi, hinc prævalet privilegium, quod est specialius, vel antiquius, si ambo sint æquè specialia.—III. Si privilegia tantum apparentem habent contrarietatem, prævalet magis absolutum; alterum verò quasi tacitè conditionatum cedit ei. Sic Ecclesia privilegiata à solvendis decimis prævalet alteri Ecclesie privilegiate ad exigendas decimas ab omnibus Ecclesiis; quia in hoc secundo privilegio tacita inest conditio, *ab omnibus, si non sunt exemptæ à solvendis decimis.*—IV. Si privilegium ab ipso jure prælationem habet, prævalet alteri: sic enim filiusfam. non utitur Scto. Macedoniano contra minorem, à quo mutuum pecuniam accepit; quia majus est privilegium ætatis, quam Scti. (*l. 11. §. ff. de minor.*) Item inter duos minores certantes de damno vitando, vel de lucro capiendo, potior est conditio possidentis et consumentis, ut dixi *l. 1. tit. 41. n. 314.*: ex his facilè conciliabis illud tritum: *Privilegiatus non potest uti privilegio adversus privilegiatum.*

176. Q. V. *Quomodo liceat uti privilegio per viam interpretationis?*

R. 1.^o Non pro arbitrio, sed secundum regulas communiter à DD. receptas, quas dedi *tit. de Const. à n. 39*: ut verba privilegii, quantum materia patitur, propriè et generaliter, prout sonant, intelligantur; privilegia odiosa seu adversa juri communi aut juri quæsito tertii restringantur; merè autem favorabilia, tanquam beneficium principis latissimè interpretentur etc.; personalia ad personam; realia etiam ad successores rei porrigantur. In dubio privilegium favorabile censetur reale, uti et conventionale ex pacto, cujus naturam sequitur: at privilegium præjudiciosum censetur personale, uti etiam remuneratorium, licet hoc frequenter sit reale; quia merita antecessorum prosunt etiam successoribus.

2.^o Privilegia admittunt interpretationem comprehensivam, non verò merè extensivam, ob paritatem aut majoritatem rationis: ita comm. contra Sa, docentem privilegia extendi ad casus similes; et contra Sanchez, qui talem extensionem admittit in favorabilibus, saltè si pro casu omisso expressa sit causa concessionis. Ratio I. Quia interpretatio comprehensiva detegit casum aut personam; quæ quidem in privilegio non exprimitur: virtualiter tamen et implicite continetur, quatenus casus iste aut persona in mente legislatoris seu principis privilegiantis fuit comprehensa. Et hinc valet illud brocardicon: *ubi est eadem ratio, eadem est juris aut privilegii dispositio.* Unde

privilegio de non evehendo frumento, comprehensivè intelligitur de non evehenda farina: privilegium filiorum, fratrum, virorum Regularium commune est filiabus, sororibus, Monialibus; dummodò materia sit eis accommodata etc.—2.^a pars sumitur ex c. 9. *h. t.*, ubi summarium ità concipitur: *Privilegium uni concessum, non potest ad alium extendi propter identitatem rationis*, et l. 14. 15. *ff. de LL. et lib. 1. §. fn. ff. de Const. princ.*, ubi Jcti. docent privilegia non esse producenda in consequentias, aut in exemplum trahenda. Ratio est; quia vis privilegii, licèt hoc ob rationem detur, non oritur ex ipsa ratione, sed ex voluntate principis, sicut omnia jura; ergò licèt pro casu vel persona non expressis militet similis aut major ratio, quàm pro expressis, tamen privilegium ad non expressa extendi non debet etiam in favorabilibus. Unde qui propter merita aut scientiam accepit privilegium obtinendi plura beneficia, vel legendi libros hæreticorum, non potest hoc privilegium extendere ad personam non expressam, quæ habet eadem merita, et eandem scientiam: et qui propter urgens studium accepit privilegium non recitandi breviarum, nequit illud extendere ad omissionem missæ die festivo etc. Ex his explicantur *lib. 12. ff. de LL., l. 8. ff. de Senator., l. 1. C. de dignitatib., c. 27. de decimis, c. 13. qui filii legit. in fn. pr. quod in majori conceditur, licitum esse videtur et in minori, c. 11 h. t. in 6. etc.*

177. Q. VI. *Quomodo amittantur privilegia?*

R. Seqq. modis:—1.^o *Interitu subjecti*; et ità privilegium personale, pereunte persona, perit, *ex reg. 7. in 6.*; et pereunte re totaliter, perit privilegium reale ei inhærens: ut si destruat Ecclesia sine spe ædificationis, nisi privilegium inhæret pavimento vel communitati, quæ alio translata trahit secum privilegium, sicut religiosi vel academici alio translati (*c. 2. de relig. domib. Can. 48. et seq. 16. q. 1.*)—2.^o *Lapsu temporis*, pro quo data sunt, vel non servata conditione cum qua data sunt: ut ri religiosus profiteatur aliam religionem; quo casu privilegia prioris Ordinis amittit.—3.^o *Non usu, seu usu contrario*, illa tantum privilegia amittuntur, quæ gravamen tertii continent; ut privilegium affirmativum decimandi, et negativum non solvendi decimas. Nam si quis legitimo tempore non utatur privilegio, dum eo uti posset et deberet, tacitè censetur illi renunciare, illudque submittere præscriptioni extinctivæ, sicut qui non utitur servitute rustica (*l. 6. pr. ff. de servitut.*), qualiter etiam amittitur jus seu privilegium nundinarum, utpotè onerosum et sub conditione usus concessum (*l. 1. ff. de nundinis.*) Si amissio privilegii fit per tacitam renunciationem, tantum tempus requiritur, quantum sufficit ad faciendam præsumptionem, quod quis privilegio se abdicaverit: si verò fit per præscriptionem, servanda sunt tempora et requisita præscriptionum. At contra privilegium, quo datur mera facultas agendi vel omittendi, non usu non amittitur: ut privilegium sacrificandi ante auroram vel post meridiem, non jenuandi, non recitandi horas can., non comparandi in choro etc.—4.^o *Abusu*; quia meretur privilegio privari, qui in illo

abutitur vel *excedendo fines privilegii*, vel *sumendo ex illo occasionem liberius peccandi*, vel *contra privilegii finem agendo* (*Can. 7. ubi d. 74. c. 18. de Regul. c. 24. h. t. etc.*) Sic beneficiarius ratione studiorum absens, si studio omisso, vagetur, meretur privilegio privari.—5.^o *Libera renunciatione*, si privilegium contineat privatum favorem personæ; quia juri et favori suo quilibet renunciare potest ex antiqua *reg. 29. C. de pact. cap. 6. in fn. h. t.* Et quidem, si renunciatur in gratiam aliorum, requiritur eorum consensus; si verò in nullius gratiam renuntiatur, requiritur consensus concedentis (*arg. c. 7. de procur. in 6.*): secus privilegium durabit, quamdiu durat voluntas concedentis. At si privilegium contineat favorem publicum, privatus ei renunciare nequit, *ex reg. 1. 38. ff. de pact.*, sicut clericus nequit renunciare privilegio fori, religiosus privilegio sui Ordinis (*cap. 12. de for. compet. c. 5. de arb.*) Prælati regulariter nequit renunciare privilegio utili et honorifico, si vel unus ex capitulo reclamaret; benè verò privilegio inutili, modò adsit consensus capituli, et renunciatio non cadat in præjudicium tertii, ut Ecclesiæ, Sedis apostolicæ etc. (*c. 8. de const. c. 22. de præb.*)—6.^o *Cessante causa*; sed hic discrimen faciendum est. Et quidem *primò*: si causa cessat ante actualem concessionem, nulla fit concessio privilegii; deficit voluntas principis, mota causa finali, quæ non existit. *Secundo*, si privilegium, stante causa, unico actu perfectè et integrè consummatum est, cessante causa non cessat; quia in conservando non pendet à tali causa, et locus est *reg. 73. in 6. Factum legitime, retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.* Sic irregularis, qui ex causa paupertatis accepit privilegium seu dispensationem recipiendi ordines et beneficium, licèt deinde evadat dives, tamen licèt exercet actus ordinum et retinet beneficium; quia irregularitas unico actu sublata est. *Tertiò*, si actus privilegio concessus habeat tractum successivum per dies, menses et annos, cessante causa *contrariè*, ità ut ex actu seu usu privilegii licito fiat illicitus, cessat privilegium, cum hoc super actu illicito dari nequeat. Sic enim cessat *privilegium decimandi*, si per hoc Ecclesia depauperetur, ut ministros alere non possit (*c. 9. de decim.*); privilegium *non residendi*, si ex absentia ministrorum præsertim curatorum, Ecclesia damnnum patiat, et divinus cultus destituatur (*c. pen. de Cler. non resid.*) Et generaliter privilegia particularium religiosorum cessant, si incipiant esse noxia disciplinæ regulari, ità ut hæc commodè observari nequeat (*arg. cit. c. pen.*) At si causa privilegii cesset tantum negativè, quia non existit; usus verò privilegii non reddatur illicitus, non cessat privilegium semel perfectè datum. Sic ob paupertatem obtinens jus decimandi, potest decimare, licèt deinde paupertas cesset. *Quartò*, si causa privilegii non existit tota simul, sed habet tractum successivum, ea cessante, cessat privilegium, vel saltè suspenditur, donec causa redeat; nam tali casu privilegium in conservando pendet à causa; ergò ea cessante, cessat, *cum cessante causa, cesset effectus* (*c. 60. de appell.*) Sic in quadragesima

ex causa debilitatis dispensatus ad esum carniū, vel ad non recitandum horas can., cessante debilitate, tenetur abstinere à carnibus et recitare horas canon.; quia in tali casu virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies.—7.^o Denique amittitur privilegium *revocatione*, vel quoad totum, vel quad partem.

178. Q. VII. *Quis, quo modo, et quæ privilegia revocare possit?*

R. 1.^o Solus princeps, vel ejus successor revocare potest privilegia; nam inferior nequit tollere jus superioris. Fit autem revocatio ista: vel *expressè*, dum princeps per verba aperta privilegium datum aufert; vel *tacitè*, dum ponit actum seu legem directè contrariam privilegio (*c. 28. de rescript.*) Porrò revocatio per legem universalem non sortitur suum effectum, nisi lex promulgata fuerit solemniter in locis solitis; quia lex non promulgata non obligat. Item per clausulam generalem: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, non revocantur privilegia specialibus munita clausulis, ne revocari possint, nisi de illis specialis mentio fiat, cum clausula generalis non contradicat clausulis specialibus. Si autem fiat revocatio specialis per hominem, tunc primò sortitur suum effectum, cum privilegiato debitè intimata fuerit; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi debet, ex *reg. 1. in antiq.* Cetera omnia servantur, sicut in revocatione legum: et sic privilegium speciale derogat generali; lex contraria posterior derogat privilegio anteriori clauso in corpori juris communis; quia hoc princeps non censetur ignorare: non verò privilegiis extra jus commune vagantibus; quia hæc probabiliter ignorat, nisi et horum mentio fiat (*cap. 1. de Constit. in 6.*)

2.^o Papa, vel alius princeps non potest revocare privilegia ex pacto seu contractu oneroso concessa, nisi in casu extraordinario ex re gravi, et publica causa. Nam princeps non potest subdito tollere jus quæsitum, nisi vi domini alti ex gravi et publica causa; siquidem princeps subditur juri naturali, quod dictat *neminem ledere*; sed per privilegium ex pacto seu contractu oneroso concessum, subditus titulo justitiæ habet jus quæsitum; ergò. Idem dic de privilegio remuneratorio, ex titulo justitiæ dato; ac proinde si princeps talia privilegia revocet, tenetur compensationem facere subdito; quia hic non tenetur jus suum gratis remittere. At privilegium merè gratuitum validè quidem revocatur absque ulla justa causa; cum totaliter pendeat à gratiosa voluntate principis, non tamen honestè et decenter; quia talis revocatio sapit levitatem et inconstantiam.

3.^o Tridentinum non revocavit omnia anteriora privilegia Regularium; ità *Sess. 25. c. 20. in fn. de Regular.* ibi: *In ceteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia et facultates, quæ ipsorum personas, loca ac jura concernunt, firma sint et illæsa.*

4.^o Tridentinum revocavit omnia privilegia Regularium, adversantia decretis *sess. 25. de Regular.*; non verò adversantia aliis decretis clausulam derogatoriam non habentibus. Prima pars habetur *cit. sess. 25. c. 22*, ubi S. Synodus præcipit decreta ista de Regularibus

observari ab omnibus Regularibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Secunda pars est Rodriq., Suar., Reiff., Schmalz. et aliorum contra Donat., Peyrin. et alios docentes revocata fuisse privilegia Regg. cuicumque decreto Tridentini adversantia.—*Prob. I.* Negativè; quia ex nullo textu Tridentini vel Pontificis declarantis constat, omnia privilegia, quæ alicui decreto Tridentini clausulam derogatoriam habenti adversantur, sublata esse. *Prob. II.* Positivè; quia legislator condens jus commune, non censetur derogare juri particulari, ut particularibus locorum statutis, consuetudinibus, pactis et privilegiis specialibus extra jus commune vagantibus, nisi horum mentionem faciat, cum ista probabiliter ignoret (*c. 1. de constit. in 6.*); sed Tridentinum in suis decretis condit jus commune; ergò sicut non derogat particularibus locorum statutis et consuetudinibus, ità quoque nec derogat privilegiis Regularium, exceptis decretis clausulam derogatoriam habentibus, prout id ipsum interpretatur consuetudo, optima legum interpret. Tum quia Trid. quibusdam decretis addit derogatoriam, quibusdam non addit; ergò, ne dicamus clausulas istas esse superfluas, fateri cogimur illa tantum privilegia esse sublata, quæ adversantur decretis clausulam derogatoriam habentibus.

Dices:—I. Trident. *sess. 25. c. 22. de Regg.* expressè dicit: *Hæc omnia et singula in superioribus decretis contenta etc.*; ergò omnia decreta Trident. observanda sunt, sublatis privilegiis.—II. Pius IV. *Const. 94. incip. In principis Apostolorum Sede* (habetur ad calcem Trid.), declarat omnia privilegia decretis Tridentini adversantia sublata esse, et ad formam Trid. reducta.—III. Alex. VII. damnavit hanc propos. n. 33. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per concilium Trid.—IV. Universalis reformatio omnia sibi adversa excludit; sed in Trid. fit universalis reformatio populi christiani; ergò excludit omnia decretis suis adversantia.

R. *Ad I.* *Cit. cap. 22.* sermo est de superioribus decretis in *sess. 25. de Regg.* editis, non verò de decretis aliarum sessionum; aliàs decreta consequentia non essent observanda.—*Ad II.* Bulla Piana, utpotè confirmatoria, sequitur naturam Tridentini, et revocat omnia privilegia, quæ constat à Trid. sublata esse. Jam autem ex Trid. non constat illa privilegia Regg. sublata esse, quæ extra *sess. 25. de Regg.* adversantur decretis Trid. clausula derogatoria carentibus. Sic etiam intelligitur clausula bullaris: *dummodò decretis Tridentini non adversentur.*—*Ad III.* Id ego non affirmo, neque hoc colligitur ex hac sententia, imò contrarium.—*Ad IV. D. M.* Omnia quæ sunt juris communis, *C. M.* Juris particularis, uti privilegia et particularia locorum statuta, *N. M.* Jura particularia, nisi eorum mentio fiat, non excluduntur etiam in universali reformatione, cum probabiliter à conditore reformationis ignorentur (*c. 1. de const. in 6.*)

5.^o Privilegia vivæ vocis oraculo concessa hodie revocata sunt per *Const. Urban. VIII. incip. Alias*, et *Gregor. XV. incip. Romanus*: quæ verò post dictas Bullas viva voce concessa sunt, probabilibus va-